

<Opiniones de uerbo substantiuo e codice Metz, BM 1224>

110va Nota de significatione substantiui uerbi diuersas apud  
magistros esse sententias.

5 Sunt enim quidam qui dicunt ‘sum’ in substantiis  
actionem significare, sed in VIII naturarum accidentalium  
essentiis, quia per substantias existunt, passionem.

10 Alii uero dicunt quod ‘sum’ de quacumque re primo loco  
praedicatum praedicat de illa suam proprietatem, ut quando  
dicitur ‘Socrates est’, ‘est’ praedicat de Socrate suam  
proprietatem, id est socratitatem. Eodem modo si dicatur ‘homo  
est’, ibi praedicatur rationalitas et mortalitas, propria scilicet  
forma hominis, uel risibilitas.

15 Dicunt alii quod ‘sum’ significat essentiam, rem scilicet  
quandam quae est in omnibus rebus, secundum quam res  
dicuntur entes.

Ast alii quod ‘sum’ significat actionem ut hic ‘Socrates  
est legens’, passionem ut hic ‘liber est lectus’, neutrum ut cum  
dicitur ‘Socrates est homo’ et similibus.

20 Alii uero dicunt ‘sum es est’ ex eo quod est uerbum  
significare actiones et passiones ut adiacentes omnium  
uerborum ad quas est aequiuocum, et tunc tantum principaliter  
praedicatur sicut alia uerba. Et in hac ui consideratum, nihil  
habet copulare praeter actiones et passiones quas significat,  
25 sicut alia uerba nihil copulant praeter suos actus et passiones. Et  
tunc habet praedicare sub disiunctione omnes actiones uel  
passiones uerborum siue coniuncte ad modum aequiuocorum, ut

---

12 praedicatur ] ponitur *M* 23 praedicatur ] ponitur *M*

---

1 Opiniones] this text has been first published in : Anne Grondeux, Irène Rosier-Catach, “Les *Glosulae super Priscianum* et leur tradition”, in Rosier-Catach, Irène (ed.), *Arts du langage et théologie aux confins des XI<sup>e</sup>-XII<sup>e</sup> siècles. Textes, maîtres, débats*, Turnhout, Brepols, p. 107-179, 2011 (spéc. p. 158-162). It is reproduced here with the kind permission of the publisher in a revised version, after collation on the digital pictures provided by the BVMM-IRHT

cum dicitur ‘Socrates est’ sic exponitur ‘Socrates uel legit uel  
 currit uel aliquid aliud agit separatim uel simul omnia’. Ex eo  
 uero quod est substantiuum significat omnes substantias in  
 essentia, sicut ‘ens’ nomen, et in hac ui tantum consideratum  
 nec se copulat nec aliud sicut nomen. Non enim plus ualet quam 5  
 ‘ens’ et ad omnes substantias, id est cum aequiuocatione. Sed  
 hoc idem ex quadam ui uerbi assumit copulationis, et praedicat  
 principaliter praedictas omnes substantias, uel sub disiunctione  
 uel coniuncte, et actus uerborum, non ut adiacentes ut prius, sed  
 ut substantias, ut cum dicitur ‘Socrates est’ intelligitur uel homo 10  
 uel albedo et sic de ceteris, uerumtamen hoc habet in uerbo  
 quod eas copulat. Illas easdem tertium adiacens praedicat. Cum  
 enim significat substantias et habeat copulationem ex uerbo,  
 datum est ei copulare substantias substantiis, et copulatas  
 praedicare, scilicet distinctas per sua nomina, ut ‘Socrates est 15  
 homo’ etc. Et ex significatione substantiae uideretur habere  
 nominibus intransitiue iungi. Sed cum congrue ponatur inter  
 dictiones substantiuas, quae substantiam significant sicut ipsum  
 ‘est’, incongrue poni uidetur inter adiectiuas ut ‘Socrates est  
 albus’ et similia. Sed cum hoc ‘Socrates albus’ sine substantiuo 20  
 proxime iuncto imperfecta est oratio secundum grammaticam,  
 requirens aliquod substantiuum ut ‘Socrates est albus homo’, et  
 sic quantum ad sensum grammaticae proprie interponitur ‘est’  
 idem quod consideratur in aliis.

Nota quoque quod nec ex sola ui uerbi, nec ex sola ui 25  
 substantiui, substantias habet copulare quascumque. Ex ui uerbi  
 non, quia alia uerba tantum copulant actiones uel passiones, et  
 non substantias. Sed nec ex ui substantiui, quia ‘homo’ et alia  
 substantiua non copulant. Ergo cum ex neutro per se habeat,  
 utrumque uoluit, ex ui namque uerbi simpliciter copulat, ex ui 30  
 substantiui substantias ipsas. Et inde habet iungi cum nominibus  
 in eadem parte, quod non habent alia uerba. Atque ‘Socrates’,

---

7 praedicat ] ponitur *M* 18 dictiones ] uix legitur *M* 19 uidetur ] *om. M* | ut ]  
*sup. lin. M* 25 nec<sup>1</sup> ] nex *M* 29 habeat ] habeant *M*

quia cum eis sic iungitur, euocat ea a tertia persona ad primam et secundam. Idem quoque uocatiua faciunt.

Si quis autem miretur de tali distinctione, scilicet quod ex ui aequiuoci uerbi habent sensum omnium uerborum, ex ui uero  
 5 substantiui substantiuorum omnium, attendat et dicat ea poni frequenter esse et non esse pro omnibus infinitis uerbis. Quid ueritatis competenter fieret, nisi sensum eorum haberet, scilicet ‘legem’ et ‘non legem’ etc. ? Sed Priscianus ostendit aptissime substantiuum significare per se propriam uniuscuiusque  
 10 substantiam. In propositione positum tertium adiacens quantum ad grammaticam est transitiuum cum nomine, et bene significat copulatam substantiam unam alii. Sed secundum dialecticam, quae non attendit uocum intransitionem, immo solam praedicationem et subiectionem, de proprietate uerbi solam  
 110vb habet copulationem. Non tamen negamus |quin ibi significet sua significata, licet non apponatur propter illa praedicanda uel subicienda. Secundum alios uero bene praedicat in propositione actionem, ut hic ‘Socrates est homo’, quae per ‘homo’ determinatur.

20 Vocatiua quoque uerba aliter considerantur in quantum sunt uerba, aliter in quantum uocatiua. Nam in eo quod uerba sunt habent significare actionem uel passionem, scilicet uocationem ut adiacentem, et hoc ad modum aliorum uerborum, et hac consideratione tantum principaliter posita praedicant  
 25 suum actum, scilicet uocationem, quae tamen passio dicitur. At in eo quod sunt uocatiua significant uocationem non iam simpliciter sicut prius, sed secundum hoc quod conuenit personae gratia nominis nominantis eam uel ipsa per se in quantum uocatiua. Vnde nomina personarum habent copulare,  
 30 et copulando nomina copulant etiam substantias ipsas. Et tunc

---

8 Priscianus] II.25 (58.25)

---

12 dialecticam ] dialecticam *M* 17 secundum ] secundo *M* 23 uocationem ] nominationem *M* 25 uocationem ] nominationem *M* 26 uocationem ] nominationem *M* 28 gratia ] gratie *M* 29 uocatiua ] nomina *M*

in summa potest idem esse ‘ego uocor Socrates’ quod ‘ego sum Socrates’. Sicut enim hic significatur praedicatum inhaerere subiecto, sic ibi. Quod autem quidam dicunt in ‘ego uocor Socrates’ ‘Socrates’ esse materiale impositum, scilicet nominis substantiae nomen, quidam sic denegant dicentes ‘ego’ et 5  
‘Socrates’ esse nominatiuos casus, ‘uocor’ uero primae personae. Sed quotiens duo nominatiui iunguntur per aliquod uerbum medium, intransitiue iunguntur, uel construuntur. Qua propter oportet in omnibus eandem esse personam. Sed ‘ego’ significat loquentem, ergo ‘Socrates’ eandem. Quod si hoc est, 10  
non est nominis nomen.

Ad hoc notandum quod haec uerba deponentia dicuntur in quantum sunt uocatiua, nec sunt dicenda passiuia horum actiuorum ‘uoco .as’ ‘nomino nominas’ et similium. Nam in passiuia significatione dici nequit ‘ego nominor uel uocor’ nisi 15  
quis per omnes litteras me uocet actumque uocationis clamando in me intendat. Sed quando in uocatiua proprietate dico ‘ego nominor’, nomen aliquid mihi inesse enuntio, licet tunc nullus me uocet.

Nota nonnullos esse qui dicunt substantiuum uerbum non esse proprie uerbum, ideoque communi priorum uerborum substantiali proprietate carere, actionis scilicet uel passionis significatione, quia contra naturas eorum essentias omnes non adiectiue significat, sed essentialiter, nihil uerborum habere praeter accidentia, non tamen omnia, quod satis innuit 25  
Priscianus qui ubique paene de eo excipiendo uidetur agere tamquam a natura uerborum.

Nota quod dicit Priscianus diuersa nomina, si ad idem referantur, sine coniunctione debere proferri nisi sint adiectiua. In illis enim iungendis necessaria est copulatio, ut cum dico 30  
‘Marcus Tullius Cicero’ sine coniunctione profero. Addita enim

---

28 Priscianus] XI.10 (553.19)

---

2 inhaerere ] inhere *M* 16 per ] *om. M* 18 nullus ] nulluus *M* 22 actionis ] actum *M* 27 a natura ] anaturarum *M*

copulatio ad alium et alium notat referri nomina, scilicet 'iustus et sapiens et disertus Cicero' cum coniunctione dicitur, quia diuersas res eidem attribuit. Sed quommodo hoc accipi debeat uidendum est. Si enim dicimus adiectiua nunquam poni sine  
 5 coniunctione, falsum est. Dicimus enim 'Socrates est albus musicus ambulans Sophronici filius' sicut hic 'homo est Marcus Tullius Cicero' sine coniunctione.

Quare dicendum est duobus modis ad idem nomina referri, siue nominando siue diffiniendo. Quod si ad idem  
 10 diffiniendum diriguntur, non egent coniunctione adiectiua. Si uero ad idem nominandum, egent quia diuersas res praedicant. Substantiua uero ideo non egere coniunctione dicuntur, non quod aliter possent coniungi si iungerent, sed quia nunquam iunguntur. Neque enim diuersae et oppositae substantiae in  
 15 unitate iunguntur. Si dicatur 'Socrates est homo et lapis', male dicitur, quia non est ut dicitur. Si uero diuersae substantiae iunguntur, sed non oppositae, ita 'Socrates est homo et animal' uel 'Socrates est animal et homo', hoc non ualet. Altera enim est superflua quia per primum intelligitur secundum, ut per  
 20 'homo' animal, altera otiosa, quia, cum per ultimum intelligatur primum, otiose ponitur primum, cum non sit diffinitio. Quod uero propria nomina idem significantia indiuiduum iunguntur non superflue, uel ideo contingit quia diuersis de causis imposita sunt uel sola auctoritas est.

111ra |Dubitari potest cum dicitur aduerbia uerbi esse adiectiua, an semper significatio aduerbii insit uerbi rei, quod in quibusdam uerum est, ut cum dicimus 'Socrates amoene legit', non est inconueniens si amoenitas insit lectioni, qua mediante fundetur in Socrate. In quibus uero quandam habet  
 30 dubitationem, ut cum dicitur 'Socrates sapienter disputat'. Sapientia enim, quae 'sapienter' aduerbio significatur, non nisi animae inesse potest. Similiter cum dicitur 'Romam uadit Socrates', cum 'Romam' aduerbialiter ponatur, in re uerbi

tamen non est eius significatio. Dum enim est in itinere, si quis  
 quaerat abeunte utrum sit Romae, uel habeat aliquid in se quod  
 per ‘Romam’ significetur, plane negabit. Vnde sic dicimus quia  
 nominis aduerbii significatum est in uerbi significato, sed aliquo  
 modo ipsum uerbum respicit. Cum enim dico ‘Socrates  
 sapienter disputat’, sapientia quae per ‘sapienter’ significatur in  
 anima est, sed tamen dicitur adiectiuum uerbi. Quae cum sit in  
 anima, hoc apparet ex lectione uel per disputationem, quae sunt  
 significata uerborum, similiter in aliis. Considerantes tamen  
 intentionem huius orationis ‘Socrates sapienter disputat’,  
 uidemus eam tendere non ad hoc ut enuntiet de Socrate  
 disputationem, sed potius sapientiam de lectione. Vnde dici  
 potest quod per ‘sapienter’ significatur quaedam proprietas alia  
 a sapientia quae est in anima, ad quam enuntiandam maxime  
 tendit illa oratio, quamuis uoces non sint satis congruae ad id  
 faciendum. ‘Disputat’ enim uel quodlibet aliud uerbum praeter  
 substantiua et uocatiua non habent aliquid praeter suam  
 significationem praedicare uel copulare. Vnde cum dicimus  
 ‘Socrates est extra’, possumus dicere quod praedicetur  
 significatum ‘extra’ primo loco, ‘est’ uero tertium est adiacens,  
 et significat ‘extra’ aduerbium quandam proprietatem quae est  
 in ipso Socrate. Quod autem essentia primo non praedicetur,  
 inde cognosci potest quia non ad hoc dicit aliquis ‘Socrates est  
 extra’, ut essentiam uelit dare Socrati uel simplicem uel  
 determinatam, sed potius proprietatem significatam per ‘extra’.  
 Similiter cum dicitur ‘Socrates uadit Romam uel extra’, non ad  
 hoc tendit haec oratio ut ambulationem Socrati attribuat, scilicet  
 proprietatem significatam per ‘Romam’ uel per ‘extra’ quod est  
 in ipso Socrate, quae diceretur praedicari, nisi quia huiusmodi  
 uerba non habent praedicare nisi res suas, ut diximus, sed  
 tantum secundum intentionem facientis, quae maxime est in

---

1 est<sup>2</sup> ] *sup. lin. M* 6 significatur ] significant *M* 7 quae ] quia *M* 8 apparet  
 ] apparet *M* 16 quodlibet ] quolibet *M* | aliud ] aliud *M* 24 essentiam ]  
 essentia *M* 28 per<sup>1</sup> ] per extra *M* | romam ] extra romam *M* 31 est ] *iter. post*  
 subiectionibus *M*

praedicationibus et subiectionibus est attendenda. Attendit illa  
 propositio ut dicat proprietates significatas per aduerbia inesse,  
 et non ipsas actiones. Dicunt quidam actiones subdeterminatas  
 praedicari, quod non multum improbamus, quia et qui hoc  
 5 dicunt confitentur sensum maxime tendere ad determinationem,  
 nobis uero uidetur quod ad solam nitatur determinationem.

Non ubicumque est rectus casus cum indicatiuo uerbo est  
 oratio uera uel falsa uel etiam perfecta. Vbi enim infinita  
 nomina duplicata cum uerbo sunt tantum, non est perfectio  
 10 orationis, ut 'quisquis' 'qualis qualis' 'quantus quantus' et  
 similia, nisi sequatur aliud uerbum, ut 'quisquis est homo', uel  
 'quisquis homo legit' nondum uerum est uel falsum, nisi  
 sequatur aliquid, scilicet 'est animal' uel aliquid huiusmodi.

Determinandum est igitur quid dicit Aristoteles in *Peri*  
 15 *hermeneias*. Ratio uero eius est eadem quod in aliis, sed differt,  
 quoniam cum 'est' uel 'erit' uel 'fuit' adiunctum neque uerum  
 est neque falsum est, nomen uero semper nomen, scilicet  
 appellans rectum casum, id est nominatiuum. Similiter non est  
 aliter uerum uniuersaliter quod obliquus cum uerbo iunctus  
 20 uerum falsumue non significet et propositionem faciat. Nam  
 cum dico 'amatur a me', hoc uerum est uel falsum, et est  
 propositio etiam uoce, et subicitur 'me', praedicatur 'amatur',  
 unde non est negandum, nisi cum personalibus. Quod uero idem  
 Aristoteles dicit in *Categoriis*, 'eorum quae secundum nullam  
 25 complexionem dicuntur neque uera neque falsa sunt', ut 'homo  
 currit' falsum uidetur, 'curro' enim uerum falsumue significat.  
 Dicit enim Priscianus quod tantum de 'curro' significat  
 quantum 'ego curro' et superfluit 'ego' nisi ad discretionem uel  
 111rb ad |significantiam apponatur. Est itaque sciendum quod

---

14 Aristoteles... 15 hermeneias] Arist. *De Int.* 3, 16b20-25 24 Aristoteles...  
 Categoriis] Arist. *Cat.* 4, 1b 24-26 27 Priscianus] XVII.89 (157.21-22)

---

3 actiones<sup>2</sup>] actionem *M* 12 falsum ] falsa *M* 15 eadem... aliis ] i. a. q. e. *M*  
 19 uniuersaliter ] in u. *M* 24 nullam ] ullam *M* 25 complexionem ]  
 complessionem *M*

indicatiuum uerbum ut simplex dictio significat, ex prima sua inuentione, scilicet actionem uel passionem, secundum hoc quod est in subiecto, et secundum hoc neque uerum neque falsum significat. Significat quoque intellectum orationis, secundum hoc quod post inuentionem uerbi dictum est sibi subicere personam et praedicare actionem uel passionem, et copula est, quod tantum non habet ex natura uerbi. Iam enim esse uerbum, illud haberet, sed ex eo quod est tale uerbum. Secundum autem hunc sensum uerum falsumue significat nec debet iudicari...

5

10

---

**1** ut ] et ut *M* **10** iudicari ] iud *cum tribus dictionibus quae non leguntur M*